

quoque Romani Episcopi (Cypriani epist. LII) habuisse locum tenendum est, licet ob rationem unitatis actus qui ex pluribus exsurgebat plebs quoque eligere diceretur (Libri diurni §§. 58. 60). In qua tamen electione id speciale occurrit quod simplex sit electio, nulla-que habeatur ex parte hominum institutio seu collatio potestatis, cum Deus immediate potestatem Primatus conferat designato in successorem Petri, ut postea videbimus.

Ex praedictio dogmatico Protestantes contendunt Ecclesiae nomine in verbis Christi (Matth. XVIII.) *Dic Ecclesiae*, coetum fidelium significari. Nam per se societatis alicuius nomen fieri potest et iis qui ei praesunt, eamque iuridice repraesentant: in verbis autem Christi hoc indicari manifestum est. Nexus est enim inter ea verba et sequentia: *amen amen dico vobis: quaecumque alligaveritis etc.* nexus scilicet causalis; quatenus potestas facta Apostolis ligandi et solvendi ratio est cur eos audire debeant fideles, eisque subesse si in coetu fidelium connumerari velint.

V. Nuperus scriptor e secta eorum qui a vetustate nomen sibi adseverunt ut nomine simularent quod facto amiserant, Dr. Iosephus Langen in opere (Das vaticanische Dogma von dem Universal-Episcopat und der Unfehlbarkeit der Papstes in seinem Verhältniss zum neuen Testament und der kirchlichen Ueberlieferung Dogma vaticanum de universali episcopatu atque infallibilitate Papae comparatum cum doctrina N. T. et ecclesiastica traditione..... secunda editio. Bonn. 1876) in quo data opera Primatum Romani Pontificis impugnat, instauravit quoque haeresim asserentem potestatem quae in Ecclesia est esse per se penes communitatem, cuius vice quidam eam exercent, laicosque etiam, exceptis tamen mulieribus, partem habere cum aliis in gubernatione societatis christianae, atque in magisterio. Cur vero? quia nempe 1<sup>o</sup> Christus apertissime significavit non haberi in Ecclesia eminentiorem aut inferiorem locum, sed solum obligationes difficiliore aut leviores, nullum magistrum esse super terram, prorsusque contrario modo se habere Ecclesiam ac politicae societates, nullam proinde dominandi cupidinem ibi esse debere, Matth. XX, 25, XXIII, 8. Sane 2<sup>o</sup> Paulus negat se iubere 2<sup>o</sup> Cor. VIII, 7 seq. Hinc 3<sup>o</sup> tribunal est ipsa communitas, Ecclesia Matth. XVIII, 15. Idcirco 4<sup>o</sup> Apostolus simul cum communitate iudicat 1<sup>o</sup> Cor. V, 3, 4 et 12: atque 5<sup>o</sup> ipsa communitas immediate active concurrat ad vitam seu administrationem Ecclesiae Act. VI, 1 seqq. Imo 6<sup>o</sup> decretum concilii apostolici latum est nomine Apostolorum, presbyterorum et laicorum; haec enim est inscriptio quae in quibusdam codicibus legitur, antiquisque versionibus *οἱ ἀποστολοι και οἱ πρεσβυτεροι και οἱ ἀδελφοι*. Constat 7<sup>o</sup> quoque laicos

magistrorum munus obisse Rom. XII, 4 seqq. 1<sup>o</sup> Cor. XII, 1 seqq. 1<sup>o</sup> Thess. V, 19; Iacob. III, 1; Apostolus vero solas mulieres excipit ab hoc ministerio 1<sup>o</sup> Cor. XIV, 34; 1<sup>o</sup> Tim. II, 11. Quapropter vi huius realis participationis laicorum ad vitam Ecclesiae, universa christianorum communitas appellatur ab Apostolis Petro atque Ioanne genus sacerdotale, regale sacerdotium. Itaque si qua potestas in Ecclesia nomine Christi exercetur ea spectat ad universam communitatem, et qui eam exercet agit ut repraesentans universitatis. (Op. cit. P. 1, §. 5. ubi nihil est novi praeter singularem temeritatem).

Aegre profecto divinabis quam notionem Ecclesiae ex Testamento novo animo suo informaverit iste Exegesis N. T. Professor ordinarius. Ecclesiae auctoritas est penes universitatem, ministri qui auctoritate funguntur eam exercent nomine universitatis; dices ergo ministros deputatos esse a populo ut ipsi fruantur exercitio potestatis, penes populum manente supremo iure potestatis, et iure eligendi ministros. At hoc non est contentus iste Dr.; nam ipsum exercitium potestatis laicis simul cum Apostolis et presbyteris asserit, imo laicis solis seorsim ab aliis agentibus, si eos Spiritus S. moveat, exercitium auctoritatis docendi attribuit, si quid probant quae ex Rom. XII, 4 seqq. 1<sup>o</sup> Cor. XII, 4 seqq. XIV, 34 producuntur. Atqui haec nedum democratia est, sed anarchia. Id quidem cohaeret cum eo quod ibidem docet: nimirum quod etsi Apostoli magistri fuerint respectu gentium, iudaeorum, eorumque qui nondum plene in christiana doctrina instituti erant, attamen quoad fideles perfecte eruditos nullus amplius dabatur magister; omnes enim fratres erant, ideoque pares. Hanc Christus Ecclesiam instituit? Quid est ergo quod Apostolus ait dedisse Deum Ecclesiae quosdam Apostolos, quosdam prophetas, quosdam evangelistas, quosdam pastores et doctores (Ephes. IV, 11) negans omnes esse doctores (1<sup>o</sup> Cor. XII, 29), asserens e contrario (ibid.) corpus Ecclesiae se habere ad modum corporis organici, in quo fieri nequit ut functio quaelibet omnibus membris congruat, ac repugnat omnia membra esse aequalia? Piget haec commenta refutare adeo adversa rationi, quae tamen magna cum fiducia proferuntur ac si nulla a catholicis adhibita fuisset responsio argumentis h. e. sophismatis quibus muniuntur.

Et sane, aiunt, Christus Matth. XX, 25, 26, sicut et Luc. XXII, 25, 26, negat esse debere in Ecclesia qui potestatem exercent: ergo ne negatur quaelibet potestas et quodlibet exercitium potestatis? si ita est, cur eam Christus instituit, cur ea Apostoli usi sunt, imo, ut vult iste Dr. etiam laici eam exercuerunt? an non potius negatur quaedam species potestatis, et quoddam potestatis exercitium, cuiusmodi reges gentium sibi vindicabant, dominium nempe seu despotismus, atque

usus potestatis in bonum et commodum non subditorum sed imperantium? Id quidem tenendum est; nam Christus mentionem facit eorum qui *κατακυριεύουσι*, modumque negat, non ipsam rem (cf. quae dicemus in fine th. II seq. Tract.), vultque ut ii, qui maiores futuri sunt, sint aliorum ministri h. e. in utilitatem aliorum sua auctoritate utantur. Rursus praecipit Christus discipulis ne vocentur magistri, quia Magister eorum unus est Christus. Quid inde? Idem praecipit ibid. ne sibi velint vocare patrem super terram. Cur ergo sibi asseruit Paulus rem hoc ipso nomine significatam, cum ait Corinthiis IV, 15 eos non habere multos patres, etsi multos habeant paedagogos, quia ipse eos per Evangelium genuerat in Christo Iesu? cur ibid. Timotheum filium suum vocat, si pater nequit ipse vocari? scilicet non ipsa res et dignitas patris ac magistri utique obnoxii Patri et Magistro Deo, sed appellationes huiusmodi cum fastu, quales ambiebant Pharisei, ut ibidem notatur, ac sine subordinatione paternitati ac magisterio divino reiiciuntur a Christo. Ex eo autem quod Apostolus aliquando dicat: non quasi imperans dico, tunc consequetur caruisse ipsum potestate imperandi et independenti exercitio eius, cum demonstrabitur eum qui fretus est independente auctoritate non posse alloqui subditos nisi modo imperativo. Porro quid Ecclesiae nomine Matth. XVIII, 15 intelligendum sit, iam docuimus. At 1<sup>a</sup> Cor. V, 3, 4 Apostolus quidem exhibet se ut iudicem, Corinthios vero ut congregatos simul cum ipso in spiritu: verum aliud est congregari, aliud congregari ad iudicandum; nam et concio populi convocatur ut sententia sollemnis proferatur, notaque fiat, et sit qui illam exsequatur. Cum vero ibid. v. 12 ad probandum quod ad se non attinet iudicium de iis qui foris sunt, ait: nonne de iis qui intus sunt vos iudicatis; haec verba vel ad eos referuntur qui in Ecclesia Corinthi auctoritatem habebant iudicandi, vel de iudiciis secularibus agunt, de quibus et cap. seq. agitur. In electione autem diaconorum satis liquet populum partes egisse testium, quas nemo illi negat. Quoad lectionem illam ex Act. XV, 23 certe legere licet textum cum vulgata, et omittere *καὶ οἱ* sicut ex auctoritate codicum praestantissimae notae omittit Tischendorf in editione N. T. Ceterum etsi ea lectio recipiatur, quid inde colliges? scilicet universam Ecclesiam Hierosolymis consistentem salutem mittere fratribus ex gentibus, decretumque sequens editum esse conspirantibus omnibus etiam fidelibus ex circumcissione. Verum negatur consequentia, quod scilicet auctoritative se gesserint simplices fratres in eo edendo decreto; nam cum a pluribus una actio fit, licet quidam tantum ex auctoritate imperent, alii consensum debitum praestent, potest eadem actio cum distributione quidem accommodata omnibus adscribi. Quae

ex epist. ad Rom. XII et 1<sup>a</sup> Cor. XII producuntur, ipsi Dri Langen adversantur; exhibent enim Ecclesiam ut corpus organicum cuius singula membra non eundem actum habent. Cur vero voluerit idem Dr. confundere dona gratis data extraordinaria cum ministerio docendi instituto a Christo in Ecclesia ipse viderit. Appellatio tandem generis sacerdotalis et regalis sacerdotii facta universitati fidelium eadem ratione probat singulos fideles esse vere sacerdotes ac potestate instructos, qua probaretur omnes et singulos Gallos esse reges eo quod eorum universitas dicitur regnum Galliarum.

VI. Propagari voluisse Christum successive in alios perpetuo potestatem a se primitus collatam patet primo ex verbis Christi Matth. XXVIII, 20: patet deinde simpliciter ex perennitate Ecclesiae quae pluribus argumentis per se demonstratur; ea vero nequit esse sine potestate, (II) a Christo instituta. Cum propagatione *successiva* nexa est propagatio, ut ita dicam, *extensiva*: qua ab iis qui instructi sunt potestate communicatur aliis participatio eiusdem, qui simul cum dantibus eam exercent plus minus perfecte, plus minus subordinate. Oportuit enim amplificata Ecclesia pastorum et doctorum numerum augeri, ac praeexistere eos per quos defunctis prioribus successio continua obtineri posset.

Porro propagatio potestatis sacrae olim in T. V. via generationis carnalis fiebat, iam ab initio statuta divinitus lege ut eiusdem idonea subiecta forent eamque exercerent, qui ex certis familiis essent orituri. Nunc vero « cessante privilegio Patrum, et familiarum ordine praetermisso, eos rectores accipit Ecclesia quos Spiritus S. praeparavit » (S. Leo. Serm. in Nat. suo III.). Sepsita vero via carnalis generationis, si propaganda est in alios potestas, necesse est primo ut qui cooptandi sunt in coetum obtinentium potestatem assumantur ab iis, qui ad eum coetum iam pertinent, per actum quidem vel institutionis auctoritatem conferentis si de inferioribus agitur, vel saltem electionis, si de suprema plenaque potestate agitur quam Deus immediate confert singulis. Id probat tum doctrina Pauli de legitima missionis necessitate Rom. X, 15, tum ipsa natura potestatis quae ita instituta sit ut ad certum coetum tantummodo pertineat: nisi enim novi assumantur ab iis qui iam potestatem obtinent, praeter horum coetum et contra ipsos poterit reperiri potestas, quod perverteret prorsus institutionem Christi. Huius oeconomiae testis est in primis S. Clemens epist. ad Corinth. nn. 42. 44. Necesse est praeterea ut aliquo ritu sacro initientur ministri huius potestatis, si Deus voluit sacro ritu constitui subiecta idonea eiusdem potestatis. Id vero Christum voluisse constat universa Traditione Ecclesiastica, quae certi et determinati ritus semper meminit sub nomine vel *ordinatio*

nis vel χειροθεσιας aut χειροθονιας, quo sacros ministros initiari oportet. Testes huius rei sunt omnes libri rituales, fere omnes synodi, et pro eius antiquitate satis est conferre Canones Apostolicos in Constitutionibus Apostolicis L. VIII. cc. 4. seqq. (1) ac Canones Carthaginensis Synodi an. 398.

VII. Iam vero usu Ecclesiastico κληρος dictus est collegium eorum qui sacris functionibus vacantes cultui Dei sunt specialiter deputati, secundum id quod populus Israelis vocabatur κληρονομια Dei, quo significabatur gratuita electio magnumque bonum a Deo profectum; qui enim erant κληρονομια Dei, iisdem Deus erat κληρος sors, pars, hereditas. Hinc adiectivum κληρικος qui ad clerum spectat. Cuius appellationis rationem reddit Hieronymus epist. LII ad Nepotianum n. 5. « Clericus interpretetur primum vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κληρος graece, sors latine appellatur, propterea vocantur clerici vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors idest pars clericorum est. »

Usu antiquissimo, cuius initii memoria non exstat, clericorum nomine in Ecclesia veniunt qui ministeriis sacris sunt mancipati (Bellarm. L. I. de Clericis c. 1.) iidemque a λαϊκοις discernuntur (Paulus 1. Cor. XIV, 16. pro λαϊκω dixit ιδιωτην). Cf. Canones Apostolicos 1<sup>m</sup> et 15<sup>m</sup>, Constitutiones Apostolicas L. II. c. 26; Canones nicenos 1<sup>m</sup>, 2<sup>m</sup>, 3<sup>m</sup>, 8<sup>m</sup>, 17<sup>m</sup>, 18<sup>m</sup>, 19<sup>m</sup>. Communionis laicae concessae Episcopo poenitenti meminit Cornelius R. P. ad Fabium (Euseb. H. E. L. VI. c. 43.) Clemens autem Romanus epist. 1<sup>a</sup> ad Corinth. n. 40. opponit λαϊκους Sacerdoti et Levitis. Tertullianus de Monogamia c. 12. « Cum extollimur et inflamur adversus clericum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes, quia sacerdotes nos Deo et Patri fecit (ad hoc scilicet testimonium provocamus). Cum ad peraequationem disciplinae sacerdotalis provocamur, deponimus infulas

(1) Cum Canones Apostolicos citamus, nolumus affirmare eos fuisse conscriptos ab Apostolis; censemus tamen propter subsequentis Ecclesiae ingem loquendi rationem eos fuisse traditos (saltem priores 50) Ecclesiae ab Apostolis et praesertim a Petro. Et sane tenendum est leges aliquas ius divinum determinantes, et disciplinares latas fuisse ab initio Ecclesiae: sine his enim recte gubernari et administrari talis societas non poterat: porro Christus leges quidem tulit circa res credendas, legemque naturalem sanxit, et hierarchiam et sacramenta instituit; cetera vero quae opus forent ad rectum usum sacramentorum, ad continendos inferiores in debita subordinatione erga praepositos, ad unitatem inter omnes fovendam, atque ad vitam christianam explicandam, determinanda permisit aut constituenda ministerio a se instituto. Oportuit ergo ut Apostoli pro opportunitate canones aliquos conderent ad quorum normam regimen Ecclesiae exigeretur. Cum ergo canones exstent qui ab Ecclesia Apostolis adseruntur, cur non putabimus eos profectos esse ab Apostolis?

et impares sumus. » Patet proinde discrimen esse inter clericos et laicos, duplicemque ordinem distinctum eos in Ecclesia constituisse. Quod si Ecclesia regale sacerdotium dicitur 1<sup>a</sup> Pet. II. 9. et fideles sacerdotes vocantur Apocal. V. 10. id analogice eo sensu dictum est quo et populus Israel iisdem titulis est insignitus Ex. XIX, 6; est enim Ecclesia regale et sanctum Sacerdotium, quia est regnum quod a sacerdotibus regitur quodque ad cultum divinum per actus hierarchicos speciatim exhibendum ordinatur. Quo sensu et simplices fideles prout pars sunt huius regni quodam sensu sacerdotes dici queunt, licet verba Apocalypsis non ad omnes fideles spectare videantur. Distinctio autem quam Paulus negat inter fideles Gal. III, 28. refertur ad dona sanctificantia ad salutem.

Quoad discrimen clericos inter et laicos quaestio duplex fieri potest 1<sup>o</sup> an sit ex iure divino, 2<sup>o</sup> an sit per aliquam intrinsecam formam divinitus impressam eamque immutabilem, ita ut qui clericus est nunquam laicus possit evadere. Primae quaestionis solutio ex demonstratis petenda est. Clerici enim sunt ii qui plus minus potestate sacra in Ecclesia fruuntur: cum ergo ex Christi institutione ideoque iure divino sint quidam aucti potestate sacra qui perenni successione continuantur, iique soli; patet eos esse iure divino distinctos et secretos a laicis quibus nulla competit sacra potestas. Altera quaestio, ne nimis sit indefinita, de eis accipiat clericis qui non sola institutione ecclesiastica, sed iure divino sint tales, subiectumque sint iure divino idoneum ad potestatem iurisdictionis. Porro ita circumscripta quaestione, est respondendum affirmative, quin tamen opus sit hanc affirmationem exclusive accipere. Ratio responsionis est quia huiusmodi clerici per ritum sacrum ministeriis divinis deputantur et consecrantur ita ut haec consecratio indelebilis sit semperque maneat. Id vero in sequentibus breviter demonstrandum est. Quibus praemittenda est distinctio duplicis potestatis, *ordinis* nempe et *iurisdictionis*. Potestas ordinis est vis per sacrum ritum collata supernaturalis efficiendi ad modum causae physicae sacramenta quaedam. Ad modum inquam causae physicae, agit enim sicut causa physica, quae cum est subiecto idoneo applicata effectum suum producit quin ab extrinseca finita voluntate possit impediri. Potestas iurisdictionis est potestas moralis, h. e. ius dirigendi coactive actus subditorum, est proinde potestas ferendi leges, iudicandi de actibus subditorum eosque coercendi poenis: potestas scilicet *legifera*, *iudicialis*, *coercitiva*. Utraque potestas competit ministerio a Christo instituto, ac de utraque disputandum, utraque enim est essentialis Ecclesiae prout societas est; et primum de potestate ordinis disputandum, per quam iure divino redduntur homines capaces potestatis iurisdictionis.